

stum et fidem Christi transplantare, nihil plane spectemus, in ratione iustificandi, quam gratiam et eam longissime SEPAREMUS a lege et operibus, quae procul hic abesse debent, Commentar. ad Galat. f. Cl. b. Concipe tibi morientem, statim, absoluto iustificationis momento, saluabitur ille, antequam existere B. O. potuere, quod urget alicubi B. Baierus. Connexa opera fidei habet, non quatenus *iustificat*, sed quatenus *renouat*. Non, si spectatur ratione *fundamenti*, ubi passivam saltem, receptivam et relatiuam indolem habet, sed ratione *ordinis* et *consequentiae*, dum homo uiuit, necessariae. Non in iustificationis *actu*, sed iustificationum *statu*, ubi saltem praesentiam B. O. admittimus. Non *obiectiue* spectata, respectu Seruatoris meriti, sed *effectiue*, respectu effectuum iustificationis. Non denique *abstractiue*, iuxta Lutherum, considerata, ubi arbor quandoque sine fructibus est, sed *concretiue*, prout suis fructibus foeta est. Apprehensio, de qua deinceps pluribus, pro *actu nostro* haberi non debet, sed pro *conditione* saltem, a parte *subiecti*, requisita. Dicant nonnulli, iustificare fidem quae, non uero, quatenus operosa per charitatem sit: Prius quoque illud non, nisi de *statu* iustificationum, ualet, et de fide, quae postea, in renouatis, operosa est, commode intelligitur. Anabaptistarum haec quondam assertio erat, *daß der Glaube selig mache, aber nicht ohne gute Wercke*; Ast uero intolerabilia nostris haec piis Doctoribus erant, ut a Menio imprimis et V. Rhegio ex instituto confutarentur. CHEMNITII *Loc. Theol. P. III. de B. O. p. 25. conf. BAIERVS, de nexu Iustif. et Renouat. §. XXXIX. SONTAGII Migades Theol. p. 24. 28. seqq. Nou-Antiqua, 1712. p. 1038. NEVMANNI Aphorism. p. 581. seq.*

V.

Dolemus merito, praestantissimis fidei Articulis, de Scriptura, Christo, Coena, imo de iustificatione quoque, eiusmodi inferi subtilitates, quae ad confusionem saepe piarum animarum uergunt, ad quas tamen, cum a seductoribus proficiscantur, uelut ad Medusae quoddam obiectum caput, nos obstupescere, minime decet. Tanta scilicet molis, tanti moliminis est, sub peregri-

Dolemus
tamen, sub-
tilitates
grauissimis
Articulis,
dissentien-
tium culpa,
inmisceri;